



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Avgvstini Archiepiscopi Tarraconensis Dialogorum Libri Duo de emendatione Gratiani

Agustín, Antonio

Parisiis, 1672

[Text]

urn:nbn:de:hbz:466:1-10634



ANDREÆ SCHOTTI
 ORATIO IN FVNERE
 ANTONII
 AVGVSTINI
 ARCHIEPISCOPI
 TARRACONENSIS
 ANNO MDLXXXVI.

CVM multa divinitus heroicis illis temporibus, viri ornatissimi, à priscis inventa atque instituta & à majoribus nostris religiosè ad hanc diem servata sunt, tum nihil vel ad vivorum solatium jucundius vel ad eorum qui vixerunt memoriam honorificentius excogitari potuit quàm bene de Republica meritos, domi militiæque illustres, cùm mortem obiissent, pro funere laudari atque ad posteritatis memoriam commendari. Græci enim, optimis & disciplinis exculti & legibus instituti, eum morem Athenis Atticis jam inde à Solone Legislatore traxisse creduntur. Romani verò, qua nulla gens alia vel moribus legibús-

P

Plutarc. in
Poplicola.

que meliùs temperata vel exteris gentibus ad vitam morésque formandos plura exemplá suppeditavit, jam inde ab exactis Vrbe Regibus, (laudato fortissimo viro L. Bruto, qui pro patriæ libertate occubuerat, à collega Valerio Poplicola) hunc sitis in funere honorem perpetuò habendum censuerunt. Et rectè quidem pièque, si verum fateri volumus, utrique judicarunt; cùm ne qui mortem obiissent, debita virtuti laude fraudarentur; tum ut heredes atque superstites ad majorum imitationem résque præclarè gerendas tanquam calcaribus incitarentur ardentius quàm fumosis familiarum ex cera imaginibus, quas & in atriis collocare & gestare in funere solebant. Verùm enim verò cùm ego ad pium hoc quidem postremúmque officium, sed perdifficile, persolvendum non satis idoneus dilectus sim, dum, ut debeo, meo me ipse pede metior, vehementius pertimesco. Quæ enim res summos etiam oratores conturbare singulæ solent, locus ad dicendum amplissimus, & rei qua de verba facienda sunt gravitas, eæ mihi hodierno die sese offerunt universæ. Si enim in causis gravioribus, ut accepimus, initio dicendi M. Tullius atque Demosthenes, summi oratores, commoveri solent vehementius quàm vel ætas illorum vel usus exercitatióque postulabat, quid mirum, juvenem me, qui cum illis non sum comparandus, & frequenti hoc vestro conspectu & pudore mihi innato perturbari? Verùm tot tantáque exstant amplif-

simi Præsulis Antonij Augustini, quem more institutóque majorum laudandum precibus victus suscepi, in me exterum hominem humanitatis ac benevolentiae officia ut officium hodie deseruisse videar & ingratus jure haberi debeam nisi diuturni silentij mei finem hic dies tandem aliquando attulisse videatur. Equidem non ignorabam nihil huc nisi perfectum ingenio elaboratúmque industria adferri oportere. Verùm manum mihi injiciebat qui mihi ad hæc studia urguenda & recolenda auctor & princeps exstitisset, in quibus ipsis humanitatis, ut sunt & appellantur, litteris si quid possum, quantum id est, quod sentio quàm sit exiguum, id omne repetere à me suo jure potest. Iacta itaque esto alea, & quidem nominis mei periculo, dum optimè de me meriti Manibus satisfacisse ac parentis potiùs quàm nominis rationem videar habuisse; in quo illud in primis mihi lætandum esse video, me de ejus viri laudibus dicere ingressum in quo prædicando nemini, ne indiferto quidem, oratio deesse possit, sitque adeo difficilius exitum quàm principium invenire. Dicendum est enim breviter, pace vestra, auditores, cùm de Antonij Augustini Præsulis nostri amplissimi vita & moribus, hoc est, de singulari eximiamque virtute, tum de doctrina & scriptis ad posteritatis utilitatem comparatis. Denique perfecti ut Jurisconsulti sic & Episcopi exemplar, tanquam speculum, ante oculos proponam. Quare ut attentè nos patienter-

que audiatis, ejusque quem vivum parentis loco duxistis, jam mortui laudes libentibus auribus animisque accipiatis, vos quaeso obtestorque. Quod si à vobis, ut spero & opto, impetravero, futurum est ut nec me in dicendo laborasse nec vos tanti viri memoriam gratæ animi recordatione revocasse poeniteat. Illud enim Romanè morèque majorum, id est, ingenuè verèque confirmare audeo, dubitare me vehementer an parem Augustino aut multis retro annis majorum secula tulerint aut quæ consecutura est posterorum ætas, datura similem sit virum, qui in his ipsis juris antiquitatibusque disciplinis virtutumque ornamentis proinde excelleret, ceterosque, ut hic noster, æquales longo post se relinquet intervallo. Q. Cæcilium Metellum, cognomento Macedonicum, memoriæ proditum est, cum tristem nuncium accepisset, P. Scipionem Æmilianum, cui etiam virtus victæ everseque Carthaginis Africani cognomen addiderat, domi suæ incerto auctore esse interfectum, à quo tamen de Republicæ æmulatione, ut sit, gloriæ sine acerbitate dissenserat, foras profiliisse, & in hanc veritatis plenam, ut ab æmulo profectam, vocem prorupisse: *Concurrite, inquit, concurrite, cives Romani. Urbis enim nostra mœnia conciderunt.* Eundemque ferunt filiis quatuor Consularibus, à quibus & ipse magno felicitatis humanæ argumento post elatus est, negocium dedisse ut Scipionis Africani funus non deducerent solum, sed etiam effere-

Plutarc. in Apophth. Val. Mo x. lib. 4: cap. 1.

Plinius lib. 7. cap. 44.

ren
add
in p
ulli
pera
excl
tog
filia
rece
ro :
ade
stra
funt
viro
tum
nium
patr
que
falla
cogi
de or
tia d
si qu
in fa
igno
ultim
tum
& ex
clari
celeb
ni fo
gusti
rum

rent, humerósque pheretro subjicerent, hoc addito eulogio exsequiis digno: *Non fore ut in posterum postremum id officium excellentiori ulli civi ampliùsque de omni Repub. merito imperatori præstarent.* Idem mihi hodierno die exclamare jus fásque est. Quin potiùs, cùm toga armis præstantior sit, réisque bellicas consilia superent, & animus corpori longè antecellat, eo veriùs justiùsque pronuntiavero: Concurrite Tarraconenses, omnisque adeo Hispania citerior, ulterior. Mænia nostra, extincto Antonio Augustino, everfa sunt; nec spes est fore ut alteri præstantiori viro postremum hoc officium, mortuo debitum, persolvamus. Cum illo enim spes omnium nostrum, auditores, réisque publica & patria elata esse videntur; inopum subsidia atque fortunas jam video concidisse. O igitur fallaces hominum spes! O inanes mortalium cogitationes! Sed hoc agamus. Atque ut inde oratio mea proficiscatur unde ætatum initia ducuntur, à capite arcessam narrationem, si quis fortè adsit ideo ignarus temporum & in familiis illustrium virorum hospes ut hæc ignoret. Ætatis itaque memoriam replicans ultimam, inde usque repetens, comperinatum esse domo nobili AUGUSTINORUM & excellentibus viris in gerenda Republica claris, Cæsaraugustæ, Celtiberorum urbe celebri & copiosa, nunc etiam studiis ingeniiisque affluente. Patre ad hæc Antonio Augustino Pro-cancellario Aragoniæ finitimorumque regnorum. Quæ dignitas hodie apud

Anno CHR.
STI 1517.

*Fl. Vopiscus
in Carini vita.*

Reges secundas tenet. Augustorum quoque Romanorum temporibus, ut ex annalium memoria & Carini Imperatoris vita observare memini, plena in administrandis rebus publicis & honoris & auctoritatis Cancellarij potestas perpetuò fuit. Vixdum ex ephelis filius excefferat, tinctus iis artibus quibus prima ætas ad humanitatem informari solet, natu licèt minimus, tamen, ob singularem indolem, maxima in spe deliciisq; parenti, Complutum, quæ in Carpetanis princeps academia est, ad uberiores ingenij cultum missus est, ubi celeriter antecellere æqualibus ingenij gloria contigit. Verùm assiduis bellorum tempestatibus jacebant adhuc humanitatis studia, Ciceronis nomen vix in scholis tum audiebatur. Nondum satis culta bene dicendi facultas. Græcæ litteræ mutæ doctoribus carebant. Sine quibus tamen disciplinis in jure civili enucleando excellere nemo potest, & reliquæ scientiæ graviores quasi conticescunt. Sensa enim mentis commodè eloqui non posse nec ad posteros transmittere nisi rusticè & inquinatè posse hominis est, vel M. Tullio iudice, intemperanter abutentis & otio & litteris. Studia verò hæc in Italia disciplinarum parente jam tum colebantur vehementiùs quàm in Hispanicis academiis; sive id soli cœlivi genio, sive hominum indoli & industriæ, sive otio denique & tranquillitati Reipublicæ acceptum est referendum. Salmanticam hinc à parente missus, prima ibi jurisprudentiæ fundamenta je-

Tuscul. 1.

citignaviter. Verùm ut exoticæ merces & peregrinæ domesticis ferè gratiores, & plantæ alio cœlo cultæ atque insitæ suaviores sæpe uberioresque esse solent, miles denique is optimus qui patria procul stipendia fecit, idem in præstantibus ingeniis usu venire accepimus. Alieno enim cœlo studiorum labor & industria fit major. Exacuitur enim & quasi usu exterorum splendet ingenium, prudentiâque paratur. Magna itaque Italicorum ingeniorum subtilitate, doctrina, & eloquentia, honesta quadam laudis contentione, quæ stimulos optimis ingeniis addere solet, excitatus, cum de posteritate seriò cogitaret, cui se vixisse testatum aliquando facere vellet, Bononiam, eruditissimis hominibus liberatissimisque studiis, juris præsertim civilis, affluentem, cogitabat, quo in opido collegium ingentibus olim sumtibus amplissimum fortissimùmque virum Ægidium Albornotium Cardinalem in Hispanicæ gentis gratiam sua pecunia exædificandum curasse inaudierat, quò erudiendi gratia ex omnibus ferè Hispaniæ urbibus præstantissima ingenia quotannis vocarentur alerenturque liberaliter. Magnam hîc studiorum segetem ex æmulatione, ut fieri amat, ingeniorum mutua colligi, assiduas hîc differendi exercitationes scholâsque haberi acceperat; ex quo ludo, tanquam ex equo Troiano, meri heroes, qui de jure consultoribus responderent, prodiissent; quorum è numero non-nemo Hispaniæ clavum nostra memo-

Anno 1365.
Io. Genesius
Sepulveda in
hist. Bonon.
Collegij.

An. 1535.

ria summo cum imperio tenuisset. Bononiam itaque, parentum permisso, excelsi animi & laboriosi juvenis tandem pervenit anno altero Pauli tertij Pont. Maximi. Ea in urbe paucis antè annis Carolus Cæsar Imp. à Clemente VII. P. M. frequenti hominum concursu & quasi orbis terræ panegyri diademate coronatus inunctusque fuerat, more majorum, Augustus. Quæ res urbem cetera claram per se & nobilem, ut pontificiæ ditionis, reddiderat illustriorem. Hic in collegium ultrò invitatus Augustinus, licet suis sese sumptibus alere commodè posset, commigravit; opibus tamen patriis valere jussis, ne his fisis negligentius, ut fit, in studiis versaretur. Sic pontes à tergo militibus abrumperè solitos duces, ne qua fugæ spes relinquatur timidis, adolescens legerat. Nactus hinc eos est doctores qui ceteris omnibus ingenij gloria antecellerent. Paullo enim Parisio juris pontificij celebri interpreti assidue operam dedit, qui ob singularem pietati conjunctam eruditionem mox in patrum purpuratorum senatum lectus est. Cui Andreas Alciatus Insuber, ut in bello defessis integri recentisque submitti ab imperatore solent, suffectus, de superiori loco docendi personam sustinuit, accitus insigni honorario, princeps cum esset ejus ætatis antecessorum, propterea quòd eloquentiam Græcarumque litterarum, quæ perpauorum hominum semper fuerunt, peritiam ad jus illustrandum attulisset, ingenioque cum intendisset, &

An. 1530.

poëtica, ut Iani Parrhasij discipulum possis adgnoscerè, plurimùm valeret. Biturigas enim, quod hodieque gymnasium Iacobo Cujacio Tolosate Iurisconsultorum coryphæo floret, Ticinum item & Bononiam academias docendo Alciatus mirificè ea tempestate, ut & jus ipsum scriptis editis, illustravit, eductis, vel ut veriùs dicam, genitis summis aliquot juris sacerdotibus, in quibus Augustinus noster familiam ducebat, quòd in iis ipsis juris enucleandi vestigiis pedem ponere cogitaret. Viglius item Zuichemus Frisus princeps erat; qui Galliæ Belgicæ Præses, negociorum mole à scribendo, ut feliciter cœperat, abreptus est. His igitur auditoribus, ut imperator spoliis opimis, meritò gloriabatur Alciatus. Antonius verò feriis, quibus proferri res solent, cessatùrque æstivis mensibus, ardente canicula, Patavium, celebritate commotus, discendi gratia, dum se æstus solis frangeret, secessit, mensesque octo ibi hæsit, cùm doctoris auctoritate, tum loci amœnitate captus. Marianum enim Socinum minorem diligenter audivit. Quæ quidem Socinorum familia tres continenter insignes Iurisconsultos edidit, Marianum majorem & Bar-ptolemæum, libris editis claros, quales Iurisconsultos vix singulos singulæ ætates ferre solent. Sic olim & Muciorum gens, quæ tot una prudentes juris emisisset quot satis multis civitatibus esse possent, in cælum laudibus ferri solet. Idem & Augustinorum gentis decus fuisse ut plures ea Iu-

risconsultos , patrem , avum , proavum dederit , annalium Celtiberiæ memoriam evoluens , comperi. Hic & subsecivis horis , quas alij tribuunt aleæ , intempestivis conviviis , aut somno , litteras amœniores libenter respexit , & Lazarum Bonamicum , disertum hominem , Græcos etiam doctores , Fazellum & Romulum Amasæum audivit. M. enim Porcium Catonem admodum senem Græcè discere non erubuisse acceperat. Et verò sine his artibus eruditisque linguis , historiæ antiquitatibusque memoria , perfectum Iurisconsultum evadere posse neminem & sæpe ipse differuit & scripto edito , ut posteritas posset exaudire , testatum reliquit. Decurso jam studiorum curriculo feliciter , Florentiam Etruriæ metropolim se contulit , cum Io. Metello Sequano homine eruditissimo , quicum ex studiorum , ut fit , similitudine vetus necessitudo intercesserat , & Pandectarum juris civilis volumen immensum , Justiniani Imp. jussu à Triboniano collectum , ejusque temporibus , ut creditur , priscis admodum litteris exaratum (qui thesaurus olim Pisis allatus est quantivis precij , religiosèque à Ducibus asservatus , tanquam Apollinis oraculum consulitur) cum Norica & nãpera Gregorij Haloandri editione summa fide diligentiaque comparavit. Hic Lælio Taurello , egregio & diserto ejus ætatis Iurisconsulto , Florentiæ usus est familiarissimè , doctissimo item candidissimoque & de litteris bene merito Petro Victorio. Hinc doctoris

Emendat. Juris li. 2. cap. 1. & 2.

*Ann 1536.
Car. Sigonius
li. xi. de reg-
no Italiæ.
Angel. Polit.
li. 10. epist. 4.
& Miscell.
cap. 41. Vi-
glius Zuiche-
mus pref.
Theophili &
An. August.
lib. 1. Emen-
dat. juris.*

fui Alciati vestigiis insistens, quòd incredibile & ipse juvandæ foris privatimque Reipublicæ & Philologiæ cupiditate flagraret, discrepantes lectiones & emendationes earumque rationes, illas quidem ex membranis antiquis, has à se excogitatas, in eum libellum conjecit quem hinc *Emendationum juris* titulo inscripsit; móxque, non tam popularis auræ captandæ quàm bene merendi studio, excidere adolescenti sibi, annos vix nato quinque & viginti, passus est. Quo libello, si molem spectes, in speciem exiguo, fin rerum utilitatem ponderumque momenta æstimes, sinuosis aliorum voluminibus anteponendo, (magnum enim librum magnum malum Aristophanes Criticus appellabat: Domitius verò Piso libros thesauros esse debere judicabat) Italiam, quâ patet, nominis fama conturbavit, noménque cum omni posteritate adæquavit. Ad hæc plurimos exteros homines suo juvandæ jurisprudentiæ exemplo incitavit, ut iisdem ingressi vestigiis Itali, Galli, & Belgæ homines doctissimi, politio-rem illam (qua hodie seculi aurei felicitate, depulsa omni barbaria, fruimur) juris civilis tractationem amplecterentur. Hoc amplius effectum est ut nostra etiam memoria Galli & Belgæ, juris antiqui studiosissimi, quos honoris caussa libenter nomino, Balduini, Rævardi, Curtij, Duareni, Contij, Connani, Goveani, Hotomanni, Ruffardi, Cujacij, ceteri, scriptis ad immortalitatem comparatis, jus verus, adhibita philologia,

An. 1545.

Athenæus.
Plinius pref.

mirificè illustrarint. Hac tanta celebritate famæ absentibus etiam, qui aliquid de ingeniis studiisque judicare aut possent aut vellent, notus Augustinus, Romam venit, quam urbium dominam terrarumque deam esse, Urbem etiam æternam indigitari didicerat, Paulo tertio decimum jam annum Ecclesiæ Christianæ clavum tenente: moxque singulari hominis doctrina explorata, duodecim - Viris Stlitium judicandarum, hoc est, sacri Palatii judicibus, adscriptus, omniumque suffragiis dilectus, Lud. Gometio I. C. Hispano & Episcopo successit. Pontifici & Ecclesiæ fidelem operam navavit, ea integritate atque innocentia ut difficile sit dictu abstinentiæ majore vixerit, an in jure dicundo severitate graviore sit usus. Iulius tertius P. M. sextum post annum susceptus, adeo Antonium dilexit ut & intimis consiliis adhibuerit, Legatumque summa cum auctoritate in Britanniam insulam opibus florentissimam miserit, cum Rex verè Catholicus Philippus secundus Marianam Reginam, Catholicorum regum Ferdinandi & Isabellæ neptem, duxit uxorem, Reginaldi Poli Cardinalis præstantissimi auspiciis; & insulanicam pacem Ecclesiæ tranquillitatemque, exoriens veluti sol, attulit. Sed ô rerum inconstantiam miramque vicissitudinem! Ut nihil est in rebus humanis proprium, nihil perpetuò bonum! Nec enim diù gaudere pacèque frui datum. Immatura enim Reginæ femina lectissimæ mors ætatis octavo & tricesimo (nata enim uno ante Augustinum

*Martial. &
Frontinus 2.
De aqua du-
ctibus urbis
Rom.
Anno 1544.*

1550.

1554.

anno) Ecclesiæ Dei Reique publicæ ex insperata lætitia summum attulit mœrorem. Sed & alterum tristitiæ argumentum oblatum. Hac enim tempestate, flagrante bellō Gallia, Carolus mundi vanitatum pertæsus, & regnorum mole fessus, tot victoriis de Gallo & Turca, rebúsque gestis, omnibus qui ante illum fuerunt Augustis comparandus, imperio sua sponte abdicavit, fasces deposuit, filiòque tradidit, & apud Carpetanos in solitudinem, ut quod reliquum esset vitæ curriculum, totum rerum divinarum contemplationi precibúsque ad Deum Opt. M. fuis impenderet, sese abdidit, raro ac pæne inaudito ætatum omnium exemplo post Lotharium Imp. Caroli Magni nepotem : qui tamen, ut creditur, tædio rerum adversarum victus, cum Ludovico, à Carolo fratre altero, post quintum decimum imperij annum monasticam vitam amplexus est. Diocletianus verò cum collega Maximiano, immanes tyranni & feræ crudelissimæ, imperij quidem insignia & ipsi posuerunt, hic Nicomediæ, alter Mediolani, sed si veram causam quærimus, desperatione quadam adducti opprimendi, in quos impotenter sæviebant, Christianos. Amurathes item Turcarum Rex, majorum nostrorum memoria, Mahumeti Othomano filio, paulò ante captam Constantinopolim, Orientis imperium concessit. Verùm neque metu, neque animi perturbatione, aut quòd laborem periculáque defugeret, Carolus secessit; sed solum pietatis innatæ studium, ut rationem ge-

1516.

1555.

*Circa annum
Christi 850.**An. Christi
304.**Anno 1450.*

sti imperij Deo judici reddendam longè antè subduceret, in eam mentem impulisse videtur. At unde digressa est revocetur oratio. Revertit ex Anglia Romam Augustinus, Paulumque ejus nominis quartum apostolicæ navis gubernaculo admotum comperit, Urbemque armis militaribus Hispanorum cinctam metumque nuperæ direptionis consternatam. Tandem armis positis redditur Ecclesiæ otium atque tranquillitas. Post ab ipso Allifanus Episcopus creatus, missusque pontificia auctoritate ad Ferdinandum Cæsarem in Germaniam. Qua honorificè obita legatione, gregem sibi creditum adiit, eumque omni humanitatis genere & liberalitatis est prosecutus. Hinc non diù, ut motoriam egisse fabulam suis ingratis videatur, Siciliam insulam, opibus florentem & frugibus, ut horreum Italiæ atque Hispaniæ appellandum videatur, Philippi Regis Catholici auctoritate atque auspiciis lustrare jussus, integrè id munus obivit, ut & Regi gratum officium præstiterit, & insulans jus sanctè administrarit. Reversus iterum in Hispaniam est, ut optimo Regi, cui debebatur, rei gestæ ratio redderetur. *Ea est enim imperandi optima conditio, inquit Tacitus, ut non aliter ratio constet quam si uni reddatur.* Mox Ilerdensium episcopatus à Pio quarto nec opinanti traditur & repugnant. Sed victus precibus cessit. Nam & Petrus Augustinus, natu major frater, eo ipso tempore Oscam (non procul inde sitam antiquissimam Hispaniæ academiam, quò jam

An. 1555.

An. 1527. ad
vii. Id. Mai.

Tacit. lib. 1.
Annal.

inde à Q. Sertorij temporibus Hispanica juvenus erudiendi gratia mitti solet) Episcopus tenebat. Inde Tridentum uterque profectus est, quò, indicta synodo œcumenica, tanquam ad panegyrim ex omnibus orbis partibus doctissimorum simul ac pientissimorum hominum, sarciendæ Ecclesiæ catholicæ concordia, conventus fiebant. Augustinus itaque, ut erat ecclesiasticarum rerum usu peritissimus, sacerdotum illis temporibus mores paululùm à majorum gravitate degenerantes solutàmque disciplinam ad pristinum decus continentiamque revocanda censuit, ratus, quod res est, hinc, tanquam à capite, corporis medicinam, ut membra convalescant, inchoandam. *Propter nos, inquit cum Iona Propheta, hæc tempestas in Gallia Germaniæque exorta est. A domo itaque Dei auspiciandum. Occurrite, Patres, labenti Reipublica.* Præclare Augustinus; & perhonestæ oratio. Meminerat enim Numantiam Carthaginêmque superari evertique à Scipione Africano minore non antè potuisse quàm correctæ militum, qui jam luxu, otio, deliciis que pridem enervati languebant, disciplina. Legibus itaque de ordinum disciplina sancendis adfuit, juvitque in partem. Anno post tertio rursus in Hispaniam navigavit, & Ilerdæ Ecclesiam rexit optimis & legibus & institutis. Ecclesiasticos ritus precésque, quibus sacerdotes assuescerent, composuit. & Collectionem canonum antiquam Anselmi Lucensis, quarti juris pontificij compileratoris, edidit. Annos

Plut. in Sertorio.

Iona 1. d.

*Livius lib. LI.
& LVII.*

Anno 1576.

ipfos sedecim ei sacerdotio summa pietate ac religione præfuit. Post, longo satis intervallo, à Gregorio tertio-decimo, Pontifice verè maximo, & bonorum omnium parente optimo, Tarraconensis Archiepiscopus renunciatus, hanc Ecclesiam ad extremum usque spiritum Præsul quartus & tricesimus sanctè innocentèrque, ut scitis, administravit; vixitque jucundè in hac urbe, propter antiquitatis Romanæ impressa vestigia, theatrum, circum, titulos, nummos, & inscriptiones, quibus referta urbs est, ut & mœnia omnia Romanè loqui videantur. Romanorum enim hic portus nobilis, hæc statio, huc cursus fuit; eratque, ut vos non fugit, citerioris olim Hispaniæ caput Tarraco. quæ pars ulteriorem, Baticam nimirum & Lusitaniam, magnitudine longè superabat. Hæc illa illa est Tarraco, (Patiamini me, quæso, auditores, animo meo morem gerere, & hæc breviter perstringere, quando me in hoc dicendi genere tam diligenter attenditis) hæc inquam Tarraco est jam inde à veterum Scipionum temporibus clara urbs, cùm populus Romanus cum Carthaginensibus de imperio totius Hispaniæ vitæque contenderet; ut de Græcis Polybius, prudentissimus revera scriptor, de Latinis Livius, memoriæ prodiderunt. C. item Plinius major Scipionum opus appellare non dubitat. Sed institutum urgeamus, quando ad extremum usque vitæ actum fabulæque catastrophæ, tristem illam quidem, sed in qua sunt omnia, pervenimus. Obiit enim

*Polyb. lib. 1.**Livius lib. 28
Plinius li. 3. c.
3.**An. 1586.*

enim Augustinus naturæque concessit, sibi quidem suo tempore, (Dici enim non potest quàm corporis his compägibus cum Paulo solui optaret) Reipublicæ verò Ecclesiæque Dei laboranti nobisque nimis præproperè. *Philipp. 1. c.*
 Ætatis quidem septuagesimo abiit è vita, qui ferè humanæ vitæ terminus ab antiquis philosophis, doctissimis hominibus, angustus sanè nimisque brevis, circumscribitur. *Macrob. lib. 1. Somnij Scipionis cap. 6.*
 Exstat & divinum regij vatis oraculum: *Dies, Psal. 89.*
annorum ejus septuaginta anni. Si autem in potentatibus, (hoc est, ut Hebræi legunt, si admodum robustus fuerit) *octoginta anni. Amplius eorum labor & dolor.* id est, ut iidem interpretantur, pars ætatis princeps, juvena, dolorum plena est & molestiarum.
 O brevem igitur hominis vitam! O exiguum nimis curriculum! O miseram hominum conditionem! Quamobrem præstans ille philosophus Theophrastus moriens cum Natura expostulavit, brutis animantibus, quorum nihil intererat, longam ætatem concedi, ut cer- *Cic. Tuscul.*
 vo, ut cornicibus, ut phœnici, teste Hesiodo, homini verò, qui rationis sit & orationis *Hesiod. apud Plur. De oracul. defectu.*
 particeps, nimis angustis temporum spaciis vitam concludi. Verùm est in promptu quid respondeam, & ad consolationem facit plurimùm, sic placitum Deo imperatori, qui nos in hac vitæ statione collocavit ea conditione ut cum vellet hinc evocaret, & quasi rude donatos ad felicioram vitam transferret, *Sallust. initio Jugurt.*
 æternam, finisque expertem. Sed & Sallustius philosopho illi pro me respondeat. *Dux,*

inquit, *atque imperator vita mortalium animus est, qui ad gloriam virtutis via grassatur, abundè pollens potènsque & clarus est.* Ratio igitur & animi morte carentis industria & vires corporis & longævæ ætatis durationem, quibus à brutis animantibus superamur, facile pensant longèque vincunt. Quæ cum ita sint, Antonio gratulandum potiùs quàm lacrymis indulgendum esse censeo. Ille enim jam tum cum erat inclusus in corpore, cœlestia assiduè animo præcepit, & ea quæ supra erant contemplans, quam maximè se à corpore abduxit. Nunc verò voti sui compos ex corporum vinculis tanquam ex carcere evolavit. Nostra verò hæc, quæ dicitur vita, mors est appellanda. O te felicem igitur, Antoni, ô térque quatérque beatum, qui his vitæ laboribus in tam laboriosa ac diuturna peregrinatione à cœlesti patria defunctus, requietem capies sempiternam! Nos contra miseri, qui superstites sumus, tot malis, quibus hæc mortalium vita referta est, morborum, ægritudinum, bellorum, pestis, famis, dolorum denique omnium obnoxij. Rectè itaque Thraces, cetera barbari, pueros recens natos lacrymis excipiebant, humòque lacrymantes tollebant; vita verò functos gaudio efferebant, omnique lætitiæ genere deducebant, quòd malis omnibus defuncti morte esse viderentur. Quid nos humanitate excultos facere par est, auditores? Quanto rectiùs poëta Ennius, Rudinus homo, qui mortem suam lugeri lacrymisque decorari ve-

Cicero Cato-
ne.

rat quod eam immortalitas consequatur. *Cur?*
 inquit. *Volito docta per ora virum.* Sic Anto-
 nij nomen excipiet omnis quæ consecutura
 est ætas posterorum. Sed efferor studio, lon-
 giusque opinione provector sum. Ad me re-
 deo. Verum quando satis multa in his tempo-
 rum angustiis dixisse videor de vita Præsulis
 amplissimi, reliquum est ut de perfecti Iuris-
 consulti & Episcopi munere breviter dicen-
 dum esse videatur. Cùm enim domicilium
 Romæ Antonius haberet, pontificiarum
 causarum iudex æquissimus, & quasi rerum
 ac fortunarum suarum sedem ibi, si arbitrato
 suo perpetuò vivere licuisset, horis subsæcis,
 quibus à negotiis publicis laxamenti aliquid
 dabatur ad corporis animique relaxationem,
 cum eruditissimis hominibus, qui domum
 ejus assidue discendi gratia frequentabant,
 Octavio Pantagatho, Gabriele Faërno, Ba-
 filio Zanco, Onuphrio Panuino, Pyrrho
 Ligorio, Paulo Manutio Aldi F. Carolo Si-
 gonio, & qui hodie vivunt, Latino Latinio
 & Fulvio Ursino, Metello item Sequano, qui
 XI. ipsos annos in illius contubernio jucun-
 dissimè vixit, ceterisque domi suæ, quæ illis
 oraculum, verius Delphico, esse videbatur,
 de urbis Romæ antiquitatibus, inscriptioni-
 bus, numismatis, rerum gestarum memoria,
 & scriptoribus antiquis Græcis atque Latinis,
 omnique adeo philologia & interioribus lit-
 teris libenter differebat, & instar apis undi-
 que decerpebat, quibus Spartam, quod aiunt,
 illustraret suam. Hoc otium M. Varronem &

*De perfecto
 Jurisconsulto.*

Festum Pompeium illustravit, aliisque ut legi & intelligi possint, & calamistris inurerent ij qui majori & otio abundabant & subsidio, in manus tradidit. nullum denique acroama jucundius quàm hujusmodi litteratissimorum virorum in hexedra confessum atque coronam, nullum senatum præstantiorem sibi videri dicebat. Memoria teneo cùm diceret (sæpe enim de perfecti Jurisconsulti officio, qualem Oratorem M. Tullius, & qualem Reip. ideam Plato ille divinus quæsit, graviter ac disertè differere solebat) eas quæ verè, ut sunt, ita appellantur, humanitatis disciplinas suppeditare prudentibus, ubi animus ex forensi strepitu reficiatur, hominesque paulò politiores juris interpretum quorundam rustico & incondito sermone defessos hic conquiescere & debere & solere, nec ferre animos posse tantam contentionem nisi amentiori oratorum, poetarum, & historicorum lectione relaxentur, atque adeo ex his & philosophorum spaciis, incredibile dictu esse quantum crescat hæc ars judicandique facultas. Poëticam iccirco adolescens attigit; pangebátque interdum carmen, alternis versibus longiusculis, non invito Apolline. *Equidem de me, inquit, confitebor ingenuè, nunquam me ab his studiis abhorruisse, sed ad illa respectum habere; sine quibus litteris nihil diu viturum posterorum memoria prodi potest. Nec me pudeat, nec cur pudere debeat video. Ceteros pudeat qui ea ferè quæ ingenij tarditate vel ignavia consequi non potuerunt, in aliis dam-*

nare solent & vitio vertere, ne se ipsi ignavia vel inscientia condemnare tacito quodam præjudicio cogantur. O tempora! O mores! O insipiens hoc seculum & inficetum! Iaceret profecto jurisprudentia, reliquæque disciplina pessum irent densa tenebrarum caligine involuta, nisi litterarum lumen accederet. Sic ille. Quamobrem nulla Antonij ingenium doctrinamque posteritatis oblivio obscurabit, editis tot ingenij monumentis ad jus antiquum Romanum rectè enucleandum. Nec enim filebitur admirabilis quædam ac pænè divina ipsius in legibus interpretandis, qualis ne in Servio quidem Sulpicio major exstitit, scientia, in odorando unde partes à Triboniano miserè divulsa essent sagacitas, in depravatis locis ad sanitatem revocandis felicitas, in falsis sententiis refellendis modestia, in omnibus, qui quidem aliquid vel mediocre in commune contulissent, laudandis singularis ac pænè propria illi humanitas. Denique de illius ad verum evadendi incredibili prudentia nulla unquam ætas conticescet. Veritas enim & ratio ipsa, quæ legum esse anima perhibetur, in Democriti puteo demersa, non à quibusvis erui potest; sed summa opus industria, maximumque studium est adhibendum. Omnes certè ex omni ætate (liceat enim mihi apud vos præfiscine quod sentio dicere) qui intelligentiam juris habuerunt, vix sunt ad Antonium Augustinum comparandi; aut si quem æquare studeas, præferas certè neminem, quòd felici hoc & aureo litterarum seculo, bella

Qq iiij

Cic. Philippa
ix.

modò civilia conquiescerent, & eruditissimis hominibus affluente, nemo fortassè ad jus sacrum profanumque illustrandum, ad artemque redigendum, & dispersa meliùs colligenda, aut majores animos aut plura litterarum subsidia, cum ab Antonio discessero, Cujacium semper excipio, attulisse videatur. Neque magis juris quam justitiæ consultus fuit in æquitate explicanda summa animi constantia, ut pro libidine leges ac refigere minime sibi licere existimarit. non actiones ampliandas, non lites ex litibus serendas, more hujus ætatis, judicabat. quod hominum genus olim leguleios, rabulas forenseis, vulturesque togatos appellabant. Merito itaque à nostri seculi prudentibus Augustinus, ut apud M. Tullium Q. Mucius Scævula, Jurisperitorum eloquentissimus & eloquentium juris peritissimus publicis in scholis (fremant licet omnes æmuli & indocti homines) honoris gratia nominatur. Magna verò & pænè incredibile in eo ad extremum usque spiritum memoria, quæ est Jurisconsultorum propria, semper viguit, aucta assiduis lucubrationibus discendique cupiditate. qua una re veterum videatur concessisse nemini. ut quantum ætate mala vires magis minuebantur, eo animus in dies magis magisque crescebat doctrina; & hebetata oculorum acie, animus verum cernebat acutiùs. Ut enim homini propria est veri inquisitio atque investigatio, trahimurque omnes & ducimur ad cognitionis & scientiæ cupiditatem, sic ma-

*Ab Ann.
Marcell. Ap-
puleio, & Pe-
tronio.*

In Bruto.

jor in iis existere ea solet & debet qui onera Reipublicæ sustinent graviora, quique vastum illud juris pelagus conscendere parant. Solon Atheniensium legislator, & unus in septem Græciæ sapientibus, senescere se multa in dies addiscentem gloriabatur. Idem etiam animam agens audire & discere exoptabat. Sed quid externa Græcorum, cum suppeditent domestica Romanorum Iurisconsultorum, exempla commemoro? Pomponius enim I. C. *Ego discendi, inquit, cupiditate, quam solam vivendi rationem optimam in octavum & septuagesimum ætatis annum duxi, memor sum hujus sententiæ quam dixisse fertur Iulianus. Etsi, inquit, alterum pedem in sepulcro haberem, adhuc addiscere quædam vellem.* Hæc ille. Ut autem adolescens jus civile egregiè & illustravit Augustinus & aliis viam quam insisterent monstravit munivitque, sic matura jam ætate atque judicio jus quoque pontificium, eadem animi alacritate, ut sacerdotem, Episcopum, atque adeo Christianum Iurisconsultum decebat, accuratè sibi recensendum emendandumque putavit. Ad hæc, ex quo Tridentino Concilio domum revertit, Concilia œcumenica quattuor, quæ beatus Gregorius P. M. quatuor Evangeliiis subjungere & æquare non dubitavit, collectis in Italia ex omnibus bibliothecis exemplaribus Græcis, Græcè edere cogitabat, quòd ea canonum collectio eo magis indigere hac lucubratione videretur quo infeliciori nata erat seculo, ex compilationibus Burchardi

Qq iiij

*Valer. Max.
lib. 8. cap. 7.*

Lib. xl. Pandect. Tit. De fideicom. libert. cap. apud Iulianum.

Ius canonicum.

Vvormaciensis, Ivonis Carnotensis, Deusdedit Cardinalis, Anselmi Lucensis, & Gratiani monachi, qui & ipsi ex sanctorum patrum Ecclesiae catholicae scriptis hinc inde sententias in classes redigere & ad capita revocare conati sunt; quemadmodum antea ex infinitis propè veterum prudentum responsis Tribonianus I. C. Iustiniani Imperatoris iussu Pandectarum volumen collegerat, extinctis veterum, unde tabulas illas naufragij desumpserat, libris. Sed cum utrique à librariis temporumque injuria malè accepti sint, melior tamen Gratiani conditio fuit, quòd ejus fontes integri existant, Pandectarum verò maximam partem perierint, exceptis nuper in Gallia repertis Caij & Ulpiani Institutionibus fragmentisque legum. Iuliani item Antecessoris Constitutiones & Theodosianus codex in partem juvant. Iuvant & Graeci, qui Romanorum leges Graecè exscripserunt, Theophilus, Harmenopulus, & βασιλικὰ quae vocantur. Sacro verò juri illustrando, post duos Antonios Gallos Democharem & Contium qui in Gratiani collectaneis elaborarunt, Ilerdæ Collectiones antiquas integras Anselmi Lucensis, ut dixi, foras dedit, opus rarum & utile. Quadraginta ad hæc dialogis de Gratiani emendatione disseruit. Ea verò tempestate commodum optimus Pontifex Gregorius tertius-decimus, qui & ipse juvenis Bononiæ suæ Iuris Antecessor fuerat, supplicibus præterea libellis rogatus Michaëlis Thomasi (qui nuper, ut scitis, Ilerdensis

Episcopus, magno sui relicto desiderio, vita decessit) de sacrorum canonum Gratiani collectione ad fontes exigenda restituendaque negotium & doctis hominibus Romæ, in his Petro Ciacconio, homini ut dictissimo, sic ad antiquos scriptores instaurandos bono publico tanquam de cælo delapso, & academiis omnibus dederat; perfectumque est tandem aliquando ut nunc minùs turbidè rivuli illi decurrant, multas tamen ut Antonio spicas legendas his ipsis duobus libris reliquisse videantur. Nec his contentus, ad artem redigere, quod in jure civili M. Tullius aliquando cogitarat, cœpit Antonius jus sacrum, nimis diffusè nec satis via & ordine traditum, edita nunc Epitome juris canonici, ad artem methodumque revocatæ ea parte quæ de personis est. Altera enim de rebus ipsis, & tertia de actionibus atque judiciis, quo ordine Iustinianus Imp. Institutiones edendas curavit, in adversariis adhuc latent, lituris plenæ. Verendum itaque, quod invitus refero, atque utinam falsus augur aliquando deprehendar, ne parentis immaturo interitu partus ille aut postumus sit nec satis politus exeat aut, quod Deus ne siverit, perpetuò delitescat. Quam enim partem Veneris Apelles inchoatam reliquit, nemo pictor est inventus qui absolvere auderet. Habetis, auditores humanissimi, quæ de perfecto Iurisconsulto pro re nata breviter mihi leviter his tincto in mentem venire potuerunt. Accipite nunc Episcopi optimique pastoris per-

Cic. III. Off.

*Episcopi m-
1116.*

sonam, quam ad imitandum, tanquam expressam imaginem, liceat intueri. Non enim eorum solum hominum qui nunc sunt, quique aliis erunt in annis, gloriam Augustinus superavit, sed & veteres aliquot virtute doctrinæque adæquavit. Divus enim Paulus, vas illud electionis, Tito Cretæ atque Timotheo Ephesi Episcopis exemplar optimi Ecclesiæ Præsulis adumbravit, quem omni reprehensione notisque ignominia carere oporteret. Ei potissimum tres has res inesse oportere tradit, doctrinam, virtutem, & auctoritatem. De quibus cum breviter disseruero, finem dicendi faciam. Quis igitur hoc homine nostra parentumque memoria doctior? Quis omnis antiquitatis, etiam ecclesiasticæ, peritior? Quis in docendo scribendoque disertior? Quod scriptorum genus sacerdoti necessarium non attigit, non ad unguem tenuit, non litteris exornavit? Clamant & pro me testimonium dicunt tot scripta ab illo prudenter, accuratè, cogitatèque meditata, & ad veterum normam revocata. Quæ idcirco consultò prætereo quòd ea vos colligere animoque repetere, sunt enim in promptu, manibusque gestantur, possitis. Tarraconensium enim Episcoporum decreta illustravit, pœnitentiæque canones edidit. Synodum ad hæc Episcoporum nuper in hac ipsa æde sacra coëgit, utiliterque multa sancivit. Iustitiæ verò ejus publica hæc documenta habeo, cum in civili Republica, tum Ecclesia administranda. Raros enim & nisi natu jam gran-

Ad Titum 1.
1. Ad Tim. 3.

diores, vitæque castè & innocenter acta probatos, altaribus admovebat. Quod tantum abest ut vitio verti ut summæ etiam laudi atque constantiæ tribuendum censeam, censentque omnes qui ordinis sacri mysteriorumque Ecclesiæ dignitatem majestatemque animo perspectam habuerint, meminerintque avitis illis & incorruptis nascentis Ecclesiæ temporibus, ut à fordibus cum avaritiæ tum libidinum alieni ad altare remque divinam accedebant, sic plerunque munus hoc arduum per se ac difficile sacerdotij & Episcopi fuga in loca sola vitabant primi illi heroës, homines divini, *a* Gregorius, *b* Chrysostomus, *c* Martinus, *d* Ambrosius, *e* Augustinus, ceteri. Non nemo etiam, ut accepimus, ne sacris, quibus se indignum esse judicabat, initiari cogere, abscisso pollice dextero, officium declinavit. *f* Paulus etiam Timotheum, collegam pænè suum, itinerumque comitem, hortatur. *Manus citò, inquit, nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis. Te ipsum castum custodi.* significans fore ut si temerè quosvis ad sacra illotis, quod aiunt, manibus pedibusque irrupentes consecraret, ut ejusdem criminis reus sit, scelerique participet. Integrum itaque & incorruptum à muneribus se servet hortatur. Quin & ethnicos majore religione in suis detestandis idolorum sacris usos deprehendi. Aristoteles enim in eo quem conformabat optimo Reipublicæ statu, non adolescentibus rerum imperitis &

a Paulus Diaconus in ejus vita.

b Metaphrastes.

c Severus Sulpicius.

d Paulinus in ejus vita.

e Augustin. epist. 148. ad Valerium, &

Possidius in ejus vita.

f 1. Timo. 5. d.

Aristor. lib. VII. Politic.

solutis , sed senibus cultum rerum sacrarum
 demandandum , qui sacris operentur , suadet.
 Quid non , corrupto hoc seculo , facere par
 est ? Doctos itaque , qui rari admodum in his
 oris , & natu grandiores , castos denique sa-
 cris admovebat , quibus opus esse maximè
 videretur , ne inutiles ventres alerent bona
 pauperum ; ut hi in lege Domini meditari-
 rent die ac nocte , litteris imbuti , hoc agerent ,
 Deoque toti vacarent , precibus , jejuniis ,
 seque à vulgo vitiisque abducerent. Profanos
 itaque jure arcebat à sacris , procúlque abes-
 se jubebat , *Odi* , inquit , *profanum vulgus* ,
 & *arceo*. *Favete linguis*. Nimirum nascentis
 Ecclesiæ , quæ , quò propiùs aberat ab origi-
 ne , eò verum acutiùs cernebat , severitatem
 continentiamque revocare studebat. Valeant
 igitur , valeant qui ea calumniantur quæ sum-
 mæ sint laudi tribuenda. Nunc reliquas vir-
 tutes perstringamus. Quanta in eo Præsule
 integritas ? nihil ut gratiæ , ne in proximis
 quidem agnatis , unquam tribuerit. Tros
 Tyriusque illi nullo discrimine habitus.
 Quanta temperantia in victu cultuque cor-
 poris , quanta comitas & morum facilitas ,
 quanta gravitati conjuncta humanitas , quan-
 ta in rebus maximis ac difficillimis aggredien-
 dis gerendisque animi excellentia , ad exi-
 tumque perducendis constantia , quanta in
 jure dicundo æquitas , in providendo acu-
 men , in omnibus denique rebus æquabili-
 tas ! Idem semper vultus , sive adversa sive
 secunda inciderent ; eadem frons , eademque

Horatius lib.
 3. Oda 1.

mens. Nemo domesticorum viginti retro annis iratum vidit. Adeo domitas animi perturbationes habebat. Castitas verò tanta ut feminam nunquam credatur attigisse. Cum libris enim fidis sodalibus assidue colloquens, otium commerciúmque matronarum devotabat. Singularis verò illius & prædicatione digna maximè semper exstitit in pauperes beneficentia ac liberalitas, quos & audiebat ipse libentissimè stipem postulantes & queritantes de injuria potentiorum. Quare à congressu suo arceri prohibebat, quòd CHRISTI membra esse prædicaret, ejúsque personam híc sustinere, se bonorum Ecclesiæ dispensatorem esse duntaxat. *Vtinam, inquit, satis idoneus reperiar. Res hæc, ut & vita hæc vitalis, non mancupio sed usui tantum datur à principe illo Deo, in quo vivimus, movemur, & sumus. Ei subducenda ara ad aßem esse, extremo judicij die, quo omnes nos manifestari ante tribunal illius oportet.* Hi sermones illius quotidiani, hæc cogitationes, híc mens defixa, humana omnia; principúmque amicitias, quæ donis alitur augeturque, facile contemnebat. Calices itaque & vasa argentea pignori opponi, libros etiam, quos & optimos & innumeros pecunia sua undique collegerat, & tanquam mutos magistros auro cariores habebat, alienari jubebat, si in annonæ caritate pecunia deesset alendis pauperibus; quibus hic ager, ut scitis, abundat. Hac verò, quæ vera est, liberalitate, ne singula, quæ sunt innumera, confectari videar,

Actor. 17. f.

*Roman. 14. b.
2. Corin. 5. b.*

*Ado Treve-
rensi. in Mar-
tyrol. 28. Au-
gusti.*

Matth. 6. c.

effectum est ut tam inops à pecunia decesserit Augustinus ut ei, divo Augustino, quem sedulo, ut nomine, sic & re ipsa vitæque exprimebat, vix suppetat sumptus quo efferri honestè queat. Thesaurisabat nimirum in cælo, ubi nec fur nec tinea damnum opibus adferre possunt. Auctoritate denique, quod tertium caput propositum erat, tanta valuit justitiæque fama, de qua & alterum me civilis Reipublicæ exemplum allaturum promiseram, ut etiam adventus sui nuncio expectationeque prædones agri Tarraconensis omnes terruerit fugarique. Quis enim antea vicus satis tutus ab illorum injuria videbatur? Quis non ager grassantium sicariorum insolentiam formidavit? Quis, quæso, iter faciebat qui non se in latronum fore potestatem timeret? Hic Antonius, ut alter Hercules, monstrorum domitor, Augiæ stabulum perpurgavit, agrum lolio & zizaniis, oram omnem monstris liberavit. Ut enim Sol tenebras radiis suis discutit, sic adventu suo agrum latrocinii infamem pacavit. Alij captivi latrones adducti vinctis post terga manibus, alij ultro ejus sese potestati dederunt, pœnas plerique more majorum dederunt. Pro Deum immortalem! Tantane unius hominis, & quidem togati, in studiis que educati, incredibilis virtus, famaque justitiæ & severitatis, tantam tam brevi tempore lucem tranquillitatemque Reipublicæ adferre potuit? Eat nunc Pompeius, qui suam in bellis conficiendis celeritatem summam jactabat,

quòd intra quinquagesimum diem bellum
piraticum cum Cilicibus prædonibus & gra-
ve & periculosum confecerit. Cedat huic An-
tonio quantum arma togæ & laurea laudi Ci-
ceronis concessit. Noster enim citiùs agrum
hunc latrocinis, furtis, rapinis, stuprisque
infestum purgavit, ignominiaque nota exe-
mit. Ignoscebat, qui deliquisset prudens,
nemini, ne quidem si nobilis, si proximus
cognatus is esset; ne & quid ipse tale post-
hac committeret, & ceteri essent ad injuriam
tardiores, à flagitiis que exemplo deterriti,
abstinerent. ratus, quod res est, non posse
alios in officio continere eum qui se ipse non
continet ab avaritiæ sordibus & cupiditate,
neque severum esse judicem in alios posse qui
sibi ipse non imperet, nec animi perturbatio-
nes domitas habeat, neque alios in se seve-
ros esse judices velit. Erat ad hæc, quando &
id ad auctoritatem conciliandam pertinet,
summa in eo corporis dignitas, statura pro-
cera, egregia corporis membrorumque ha-
bitudo, robusta ad extremam ætatem vale-
tudo ac firmitas, incessus gravis, in aspectu
gravitas comitati conjuncta, in sermone le-
por concinnaque brevitatis. Iocis etiam urba-
nis interdum & salibus utebatur, sed cum lit-
teratis hominibus. Ocelli perexigui, & fla-
va coma; hebetata, ut fit, assiduis lucubra-
tionibus oculorum acies. Vitreis itaque per-
petuò usus est. Denique in toto corpore ea
dignitas eluxit quam imperio dignam Euri-
pides judicavit. Te, te igitur appello, An-

Apud Por-
phyrium &
Stobæum.

Περὶ τῆς
εὐδαιμονίας
καὶ τῆς
κατασκευῆς.

toni, (Est enim , ut credimus , in morte sensus) quando est hoc in more positum institutioque majorum ut qui bene de Republica meriti , vita functi essent , pro funere laudarentur , si cuiquam justus honos Episcopo in morte habitus est , si quæ justa cum lacrymis persoluta sunt , nulli justius quàm tibi , mea quidem sententia , postremum hoc officium deberi videatur. Salve igitur & vale. Difficillimis Reipublicæ temporibus extinctus es , rebúsque ereptus humanis , ne ad interitum festinantis patriæ Cæsaraugustæ , intestinis bellis adolescentulorum opera labefactatæ , ruinam videre & gravissimum acerbissimumque casum lugere cogereris. Ad cœlestem nimirum patriam festinabas , quam multis antè annis animo præceperas , æternam illam beatitudinem , qua beati ævo sempiterno fruuntur , assiduis votis exoptans , quam nec oculus vidit , nec auris audivit , nec in cor hominis venire potuit. Te , te igitur postremum appellabo , antistes optime , iis verbis quibus M. Varronem tuum , togatorum doctissimum , M. Tullius olim affatus est , & divum Isidorum Braulius patriæ tuæ Episcopus ; quos tu singulares viros unus hac ætate representabas. *Tui nos libri in orbe & urbe peregrinantes errantésque tanquam hospites quasi domum deduxerunt , ut possimus aliquando qui & ubi essemus agnoscere. Tu etatem patriæ , tu descriptiones temporum , tu sacrorum jura , tu sacerdotum munera , tu domesticam publicamque disciplinam , tu sedem regionum* &

*Isaia 64. b. 1.
Corinth. 2. b.*

*Cic. in Aca-
dem. quest.
Braulius præ-
fat. Erymol.
Isidori.*

& locorum, tu omnium divinarum humana-
 rumque rerum nomina, genera, officia, cau-
 sas aperuisti; plurimumque doctis hominibus
 omninoque Latinis litteris luminis attulisti, &
 juri cum divino tum civili facem pratulisti.
 Et quoniam nemini vestrum, auditores, meus
 dolor concedit, nunc de me confitebor inge-
 nuè. Equidem ita hujus viri morte sum af-
 fectus ut nemo unquam unici filij mortem
 magis doluerit quam ego hujus viri ita de
 me bonisque omnibus meriti ut parentis lo-
 co, dum vixero, sim habiturus, Deumque
 venerans assidue, bene precaturus Manibus
 tanti viri; cujus ego sermone biennium to-
 tum ita cupide fruebar quasi jam divinarem;
 id quod evenit, illo extincto, unde tanta dif-
 cerem fore neminem. Maxima enim in illo,
 ut dixi, cognitio antiquitatis, summa scien-
 tia juris antiqui legumque Romanarum &
 familiarum; multæ in eo, ut Romæ natus
 videretur, litteræ & elegantia sermonis La-
 tini. Ciceronem etiam senex legebat assidue,
 ut eloquentiæ principem. Iuris verò tanta in
 eo accuratio ut veterum aliquis præstantis-
 simorumque prudentum, Paulus, Ulpianus,
 aut Papinianus ab inferis exstitisse ac revi-
 xisse vel animam, ex Pythagoræ sententia,
 recepisse illorum videretur. Quanto porro
 historiarum antiquarumque rerum Græciæ
 & Italiæ explicata cognitio! Ius pontificium
 & civile ita illustravit, hoc adolescens, se-
 nex illud, ut principem illum Iurisconsulto-
 rum nostrique ævi florem delibatum uno ore

*Cic. in Mani-
liana.*

gentes omnes prædicent. Memoria proditum Q. Catulum, clarum Romæ oratorem, cum de belli Mithridatici (quod & genere necessarium, & magnitudine periculosum, magna varietate terra marique gestum est) imperatore deligendo ageretur, quæsiisse ex populo Romano, si in uno Cn. Pompeio omnia ponerent, si quid illi, ut sæpe fit militiæ, humanitus accideret, in quo spem essent habituri, eo ipso die sui de Magno iudicij ac pietatis hunc fructum retulisse ut uno omnes ore cives in ipso uno spem habituros responderint. Sed nos tanti viri jactura, hoc amisso patrono, hoc parente optimo sublato, quem respiciemus, quem appellabimus? Te, te inquam, Ioannes Terefi, qui jam Dertusanus Episcopus designatus cum esses, hæcque commodum iter haberes, per opportunè accidit ut Antonio in morte postrema illa officia exhiberes, Ecclesiæque catholice matris nostræ sacramenta illi conferres omnia quibus juvari morituri, more majorum, solent. Ille verò, ut spero & opto, in beatorum sedibus, ubi summa felicitas est, Dei Opt. Max. aspectu assiduè perfruetur: quem quidem nunc tantum videmus in speculo & ænigmate, illic autem facie ad faciem, sicuti est, videbimus. Equidem, ad me quod attinet, si pro immortalibus ejus in me officiis parum cumulatè satisfecisse citò videar, (quis enim præstare hoc possit?) quæso à vobis, auditores, obtestorque ut & ingenij mei tenuitati & brevitati temporis mihi ad

*1. Corinth. 13.
d.*

me comparandum dati dandam esse veniam
putetis, dum & ætatis incremento, & ube-
riori anni proventu, studiorumque progres-
su majora à me pietatis officia, mortuo de-
bita, de vita illius sanctè innocentèrque acta,
scriptisque ad immortalitatem comparatis,
longè his copiosiora expectare possitis.

D I X I.



R r ij